



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Virginitas quibus virtutibus ornanda, præsidij munienda, Primò solitudo. Secundò Humilitas. Tertiò Variæ aliæ virtutes. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

ginem: nè, si tantum filiam nominasset, arbitraris & nuptam. S. Hieron.

Ex Novo.

Impone manum tuam super eam, & vi-
vet. Matth. 9. 18. Cur Christus solum hos
tres suscitavit? Archi-Synagogi filiam, filium
viduæ, & Lazarum? Quia innupti erant, ca-
stò, & virginè, corpore viventes: ac proin-
de aptiores, ut mortem fugarent, & vince-
rent. Sylveira hic q. 14.

Non est puella mortua, sed dormit.
Matth. 9. 24. Aptè puella duodecim anno-
rum, dormire, non mortua esse, à Domino
asseritur: quia Virginitas nescit occasum. Escobar
t. 1. Mir. Chr. P. 4. Sect. 9. Obs. 3.

Clamor factus est: ecce sponsus venit.
Tunc surrexerunt omnes Virgines. Matth.
25. 6. 7. Unde tanta illarum celeritas? Sanè
maritata, & difficilius prægnantes, ad vo-
cem Domini, non ita facilè, & expedite, oc-
currissent. *Væ prænantibus - &c.* Matth. 24.
19. Fernandus in Gen. 3.

Paulus servus Jesu Christi. Rom. 1. 1.
Quid ad nuptiarum, vel castitatis, præcepta,
commemoratio servitutis, ac libertatis, assu-
mitur? sed nos sensum Pauli ita intelligimus:
quòd servum dicat eum, qui jugali conditione
constrictus est. Liber verò est, qui sine uxore
per puritatem continentia venit ad Chri-
stum. Origenes l. 1. c. 1. h. c.

Volo omnes vos esse sicut meipsum. 1.
Cor. 7. 7. Sed, ó Apostole Dei! sancte Dei!
electe Dei! si omnes te imitarentur, unde filij,
& filia? homines, & mulieres, nasceren-
tur? Si omnes essent Virgines, unde nasceren-
tur & Virgines? Unde genus humanum propa-
garetur, si omnino ab omnibus cœlibaretur?
Sed utinam ab eo tempore, quò Christi
Evangelium claruit; aut nunc, sicut ista vita
decrevit, omnes viri, & mulieres, tenuissent,
aut tenerent perfectissimè cœlibatum. Quòd
autem sic compleretur numerus Electorum,
& finiretur ista miseria; sive aliter providere-
tur in propagatione hominum; Deo possibi-
le est, qui simul ac repente, ex nihilo eduxit
militiam angelorum. O hominum magna te-
meritas, & infrunita vesania! quòd imagina-
tur, Dominum aliter homines educere non
posse, nisi ex carnis corruptione. Unde edu-
xit angelos? unde sublimissimos cœlos? un-
de multitudinem stellarum? magnitudinem
ipsarum unde composuit? quatuor elementa
unde produxit? Utinam facerent homines,
quod in eis est; & implerent per castitatem
Domini voluntatem: faceret & Dominus
omnipotens, quod in eo est; qui faciendi
omnia, possidet omnimodam, & celerem,
facultatem. Sicut dixit, & facta sunt; sic
si vellet, & fieret. Videbat Apostolus, in
Deo non deesse potentiam; quin aliter hu-
manam naturam posset propagare. Videbat
Joannes Bapt., cum Judæis dixit: *potens est*
Deus de lapidibus istis suscitare filios Abra-

ha. Luc. 3. 8. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ.
c. 3.

Sequuntur agnum, quòcùnq; ierit. Apoc.
14. 4. Virgines erunt continuè in societate
Christi. Item erunt domicellæ B. Virginis.
Alia siquidem mulieres erunt quasi famulæ;
sed ista familiares magis quasi domicellæ. B.
Humbertus f. 47. ad Moniales albas. Privile-
gium singulare; sed multò obtentum labo-
re, & mortificatione: Cur autem Virgines
speciali familiaritate in cœlo Christum dicun-
tur secutura? S. Antonius Pad. f. 1. de Virg. Vir-
gines etiam ipsò Martyriò Domino assimilantur:
si enim genus Martyrij est castitas in ju-
ventute, ut dicit Augustinus; quantò magis
Virginitas tota? Hinc est, quòd Virgines se-
quuntur agnum, quòcùnq; ierit. Ramirez
in ep. 5.

Ex Patribus.

Oza arcam, quam non licebat tangere,
attingens subitâ morte prostratus est: nèque
enim vas aureum, & argenteum tam charum
Deo fuit, quam templum corporis Virginalis.
S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Virginitas holocaustum Christi est. Uni-
versa castitas; sive in Virginitate, sive in vi-
duitate, sive in continentia; hostia Christi est.
S. Hieron. in Ps. 97.

Non dos hujus sponsæ sunt mancipia,
non agri jugera; non tot, tantaque, aurea ta-
lenta: sed cœlum, & bona cœlestia. S. Chry-
sost. lib. de Virginit.

Primus sermo salutis factus est ad Virgi-
nem. S. Athanasius Alex. l. de Virginit.

Non ignoremus castitatis gloriam: An-
gelica enim est corona; & supra hominem
hæc perfectio. Parcamus corporibus, qua
lucere debeat sicut sol. S. Cyrill. Jerof. Ca-
tech. 12.

§. V.

Virginitas quibus virtutibus or- nanda, præsidij muni- enda.

Primò. Solitudo.

Gitur puella &c. Gen. 24. 14. S. Hieron.
ex Hebræo, *alma*: quòd verbum nun-
quam, nisi de Virgine, scribitur; & interpre-
tatur: *abscondita*. S. Thom. Aq. in Gen.

Egressus est à filia Sion omnis decor ejus.
Thren. 1. 6. Causam in præcedentibus dixit:
omnes porta ejus destructa. v. 4. Egre-
diente multum domò Virgine, egreditur decor ejus.
S. Ambrosius Exh. ad Virgines: Paradisus es,
ó Virgo; Evam cave. Sicut paradisus est in
loco tam occulto, ut non certò sciatur, ubi
sit? sic etiam debet esse Virgo Deo dicata.
Jonghen ex sacris Profession. p. 2. Exh. 1.

Nullus sit tuus sinè matre progressus;
quæ sit anxia tui custos pudoris. Ipsa quo-
que ad Ecclesiam progressio rarior sit adole-
scentulis. Considera, quanta fuerit Maria; &
tamen

tamen nusquam alibi, nisi in cubiculo reperitur, cum quaritur. Decet solitudo verecundiam: & gymnasium pudoris secretum est. S. Ambrosius. Adhort. ad Virgines. Ante finem.

Virgo devota apud quàm simillima esse debet; quæ longè à suo apiario volans pulchros undique flores legit; ex quibus intrà alveum conclusa mellificat. S. Thom. Vill. conc. 2. de S. Dorothæa.

Nix in montibus excelsis conservatur; sic Virginitas non ita commodè in palatijs conservatur; nec in visitationibus, & colloquijs; sed in oratione, & solitudine. Diez. conc. 1. in fello B. V. ad Nives.

Secundò. Humilitas.

Lilium convallium. Cant. 2. 1. Se dicit; quatenus inquit S. Ambrosius. l. 5. in Pl. 118. in humilibus magis elucet ejus gratia. Flos campi, terræ inarata; flos Virginum, lilium convallium: quia humilitati Virginitas socianda. Dicitur flos campi, & non camporum; *convallium*, & non convallis. q. d. ego quidem flos sum campi Ecclesiæ in genere; sed peculiariter sum lilium, per singularem providentiam omnium humilium, & singulorum, de Ponte hic Exh. 20. §. 4.

Et descendit cum eis. Luc. 2. 51. Descensu aditur Nazareth; quòd flos pudoris humilitate servatur. Si ascendas; flos de radice Virginitatis non ascendet in cor tuum. Oliva l. 13. Strom. hic.

Si qua Virgo est Christi; non potest Christus, nisi cordis humilitate, conjungi. Filij Dei thalamus elatus non recipit: & humilis sponsus à connubio suo superbos expellit. B. Fulgentius.

Tertio. Varia alia virtutes.

Ex Veteri.

Et ecce Rebecca egrediebatur. Gen. 24. 15. Nota hic speculum Virginum in Rebecca. Nam 1. non otiosa sedet, sed laboriosa hydriam gestat. 2. Haultà aquà revertitur; non diu moratur in publico: & licet servum Abraham videret; non tamen curiosè inspicit, vel alloquitur. 3. Cum servus ab ea petit potum, statim offert, benignè alloquitur. 4. Quamvis audiret eum esse servum Abraham; non tamen eum in domum introducit; sed matri nuntiat. 5. Non curiosè inquit, cur servus hic advenit? 6. Obtemperat parentibus, cum videt eos consentire, ut ad Isaac pergeret; tamen durum ei esset, relinquere parentes. Cornelius hic.

Rebecca, puella decora nimis, virgò, pulcherima. Gen. 24. 16. Bis dicitur pulchra: ut ostendatur; quòd pulchritudo exterior multum ab interiori puritate dependebat: ac proinde toties dicitur *pulchra* in exteriori facie, quoties Virgo, & pura, in interiori. S. Chrysost. t. 6. f. quales ducendæ uxores: quid mihi narras pulchritudinem corpo-

ris? ut discas insignem ejus pudicitiam, ut discas animi pulchritudinem. Sylveira in Act. 7. q. 15.

Cucurrit puella & nuntiavit. Gen. 24. 28. Protulit vir in aures aureas; audit sermonem blandum: *cujus es filia?* sed matrem citò adit, & nuntiat; quid? fortasse quæ acceperat? non; sed *quæ audierat.* Sermonem cum viro abruptit virgo cauta, & matrem consulit: timens, nè qua sub voce levi pestis esset; sub melle venenum; sub escâ hamus lateret. Virginum enim est, ait S. Ambrosius. l. 2. in Luc. 1. omnes viri affatus vereri. Velloso in Judith 1. Paran. 1.

Apparuitque ei Dominus &c. Ex. 3. 2. Ignis in rubo, est Deus in B. Virgine conceptus, & natus; illa ejus virginitate. Ità Theodoretus, Rupertus, Bernardus, Gregorius Nyss. ubi nota: aptè virginitatem comparari rubo: quia per humilitatem, & asperitatem vitæ, conservanda: in delicijs enim castitas est in periculo. Cornelius hic.

Mulier excubabat in ostio tabernaculi. Ex. 38. 8. Excubare significat vigilijs militares ad arcendum hostem. Nihil Virgini congruentius, quàm vigilare, excubare. Væ castitati, quæ ad horam dormitat. S. Chrysost. hom. 40. ad pop. quid Salomone beatus? sed, quia dormitavit, cecidit. Gen. 39. 7. S. Gregorius Nyss. illa dicebat dormi mecum: adolescenti autem contra proclamabat temperantia, vigila mecum. Bæza t. 1. l. 1. c. 6. §. 7.

Assitit regina à dexteris tuis. Pl. 44. 10. Sponsus in acie stat: debet ergo & ipsa armis succincta viriliter dimicare. Nemo in acie positus otiosus stare potest, nè cadat. Et hinc est, quod Salomon Virginem castris comparet. Cant. 6. 9. *terribilis ut castrorum acies ordinata.* S. Paschasius hic.

Sicut vita coccinea labia tua. Cant. 4. 3. Sponsarum agni, hoc est, Virginum Christi labia præcipuè decet esse, sicut vita est coccinea: & sermo earum semper charitate ardeat, Passione agni, & sponsi, rubeat: qui semper debet esse in corde, semper sit in ore; candidus, & rubicundus, dulcis Jesus. S. Bernardus tr. de Pass. Dom. c. 31.

Ex Novo, & Patribus, & alijs.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilee. Luc. 1. 26. Quarant transmigrationem (Galilaam) Virgines, Virginem virginum imitantes; ut in nullo visibili virginalis ligetur affectus. Nil diligit, quod castissimi sponsi dilectionem impediatur: nè quærat diligi, à quo deceat separari; qui non potest beare. Sim. Cass. l. 2. c. 1. de B. V.

Hæc angelorum militia est; semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum, student: lectione, vel operibus continuis, mentem occupant; separari à cœtu mulierum; sibi ipsi invicem tutam præbent custodiam. S. Ambrosius. ep. 82.

Novi Virginitatis vim; novi hujus certaminis contentionem: quantum hoc habeat proclium difficultatis, intelligo. Vehementi quodam, & fortî, animò opus est; & qui nullum habeat sensum voluptatis: quandoquidem per candentes carbones, ut non aduraris: per mucrones gladiatorum, ut non faucieris; est incedendum. Ea est enim libidinis vis, ut cum igne, & ferrò, conferatur. -- Quamobrem adamantinâ quâdam rationis vi, oculis nunquam somno conviventibus, summâ tolerantîâ; muris etiam firmis, opus est, quibus muniamur: vigilantibus præterea, fortibusque custodibus: imprimis verò divinâ gratiâ indigemus adjumentò. S. Chrylost. l. de Virginit.

Paupertas eis in pretio est: & eò amplius, quò ex ipsâ major approximatío fit ad sponsum; qui pauperes requirit; sed divites non repellit. Verumtamen Virgo pauper propior accedit ad Crucem, nuda rebus temporalibus. Virgo nudam crucem astringit ardentius; & tantò illius arboris fructus gustat sapidiùs, quò sibi fructum terrenarum arborum interdixit. Sim. Cass. l. 2. in Luc. 2.

Convenit dicatis Deo Virginibus civitatem Nazareth incolere; propter florem campi, & lilium convallium, Dominum omnium Christum; ad florendum per eum, & juxta eum, ad aliam vitam: quoniam in ista nihil manet, aut floret; quod in vespere non decidat, & arescat, & marcescat. Id. ibid.

Deus posuit in firmamento Virginem intrâ Libram, & Leonem: ut hinc temperantiâ, inde fortitudine, se munit. S. Basilus or. 8. de Joseph. fugâ usus pro armis.

§. VI.

Virginitatem servandi, & tuendi, motiva.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. Cor. 7. 1. Dices: Gen. 2. 18. dicitur: non est bonum esse hominem solum. Respondeo: Deus in Genesi loquitur de bono speciei; Paulus de bono individui. Deus tempore Mundi vacui; Paulus pleni. Deus

de bono temporali; Paulus de bono vitæ spiritualis, & æternæ. Cornelius hic.

Virga es, ô Virgo; non curveris, non inflectaris in terram; ut in te flos paternæ radicis ascendat. Hortus clausus es Virgo; serva fructus tuos: non ascendant in te spinæ; sed uvæ tuæ floreat. Hortus clausus es, filia: nemo auferat sepem tui pudoris - Paradisus es Virgo; Evam cave. Fons signatus es Virgo: nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet; ut imaginem tuam in fonte tuo semper attendas. Porta clausa es, Virgo: nemo aperiat januam tuam, quam semel clausit sanctus, & verus; qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; & claudit, & nemo aperit. Apoc. 3. 7. S. Ambros. l. de inlit. Virginis c. 9.

Splendebas, ut argentum; fulgebas ut aurum; quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini. Apoc. 1. 16. Quæ ista subitanea conversio? De Dei Virgine facta es corruptio Sathanæ, - de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia, ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio: quæ fulgebas ut aurum, propter Virginitatis honorem; nunc vilior facta es lutò platearum. Idem lib. ad Virginem lapsam c. 2.

Cave, quæso, nè quando de te dicat Deus: *Virgo Israël projecta est in terram suam, & non est, qui suscitet eam.* Amos 5. 1. Audenter loquar: cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam. - Rectius fuerat homini, subijisse conjugium, ambulasse per plana; quàm ad altiora tendentem in profundum Inferni cadere. S. Hieron. ep. 22. ad Eustoch. de Virginit. custodia.

Virginitas, si perditur, irrecuperabile bonum. Poterit siquidem poenitens misericordiam consequi; non autem coronam assequi virginalem: neque illud cantare Canticum, quod solum centum quadraginta quatuor milibus coram agno cantare concedetur. Sim. Cass. l. 2. c. 1.

Virginitas vitrò debilior: vitrum enim non frangitur, nisi tangatur: Virginitas autem solò visu concupiscentiæ læditur. S. Vires. Ferr. f. de S. Agnete.

